



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quæst. 1. Quid oculus & corpus lucidu[m]?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

terat, itaq; imitator Christi communi vitæ se accom-
modabat, non luxuriando, sed cibus cum gratiarum a-
ctione utendo. Hoc ad Bezam nebulo aliquis reculit,
qui cum putaret neminem, qui mensæ plenæ affide-
ret sobrius esse posse, ex suis helluationibus, conie-
cturam de Pontifice fecit.

§. 2. Ieiunia in Ecclesia visitata esse hæc ipsa do-
cent. Non enim ieiunia hic imperat, sed quali certus
ea futura esse, modum ieiunandi præscribit. Non i-
gnorant id Tossanus, cuius ista sunt: [De ieiunio
hæc pauca notanda sunt. Ieiunium Theologicè non
vocari quamlibet abstinentiam à cibus, vel ieiunium,
qualis sæpe est, vel in morbis, vel tempore famis, nec
etiam abstinentiam à certis cibus, ut à carnibus &c.
Sed voluntariam abstinentiam ab omnibus cibus &
deliciis, quam vel aliquis sibi imperat, vel quæ est pu-
blica, & ab Ecclesia denunciata aliquando vsq; ad ve-
speram aliquando ad diem vnum, aut alterum, ut te-
stentur homines suam contritionem coram Deo, &
corpore macerato animus sit magis idoneus, ad in-
teritas preces & sanctos gemitus. Nec sunt abrogata
ieiunia in Nou. T. sicut Levitica Ceremonia, sed ha-
bent suum adhuc usum in Ecclesia. Matth. 9. Act. 12. 2.
Cor. 11.]

Requirunt igitur abstinentiam à cibo, vel voluntariam,
per aliquod tempus, non à certo cibo, vel denun-
tiationem ab Ecclesia, ad contritionem testandam &
preces. Errant ille in multis, & se refellit.

Si enim ieiunium est voluntaria abstinentia ab o-
mnibus cibus, & deliciis, quam vel aliquis sibi impe-
rat, vel quæ est publica, & ab Ecclesia denunciata, a-
liquando vsq; ad vesperam, aliquando ad diem
vnum vel alterum, &c. Ergo etiam est abstinentia a-
liquando à certis cibus. Equidem si quis à carnium
deliciis, aut vino abstinet, temperate vilioribus ve-
scatur, ille quoque suam contritionem detestatur,
& animum macerato corpore ad Deum intentius e-
rigit. Nec paruum est discrimen inter eum qui ad
vesperam ieiunans, carnibus vescitur, & eum qui
piscibus, modo deliciæ absumunt. Daniel sane cap. 10.
à certis cibus abstinet. *Cibum verum desiderabilem* (ita
vertunt Ian. Tremell.) *non comederam, nec caro, aut vi-
num intrauerat in os meum, nec unguento me inunxeram, do-
nec complerentur trium Septimanarum dies.* Non transe-
git illas viginti & vnum dies Propheta sine omni ci-
bo, sed *cibum desiderabilem non comedit*: & singula-
tim carne, & vino abstinuit. Ieiunasse eum ad vesp-
eram more Iudæorum credo. Sed ieiunii fuit illa
magna severitas, quod vir tantus, & iam mini-
mum annorum octoginta, carnem, vinumque ab-
dicauit.

Danilem igitur imitantur, qui non modo vna in
die refectione contenti viuunt, sed etiam carne ab-
stinent, recte facturi, si & vino: modo vires id pa-
tiantur.

Deinde aberrat in eo, quod neget ieiunium esse
Dei cultum. Nam quemadmodum cerimonie in le-
ge veteri Dei cultus erat, ita & ieiunium imperatum,
ex lege Deo illa carnis mortificatio exhibebatur: ac-
tus est enim à virtute religionis imperatus, à tempe-
rantia elicitus.

Tertio; falso etiam ieiunio meritum deditur;
quemadmodum & aliis bonis operibus, si meritum
ut supra explicui accipiat. An ieiunandum sit in
novo Testamento querit Piscator; Causa est, quia
preceptum non est, & tamen exempla sanctorum id
ostendunt, ut doctorum Ecclesie Antiochenæ. Act.
13. 2. Item Pauli & Barnabæ Act. 14. 23. Paulus etiam
1. Cor. 7. 5. Approbavit ieiunium. Desinit autem ieiun-
ium esse liberæ observationis, ad preces utile, à pri-
uatis & præcipue ministris obseruandum. Verum

cum apud eos sæpe populo denunciatur ieiunium,
verius alii docent, non semper esse liberæ obseruatio-
nis: & suo abusu Catholica Ecclesia leges consuetu-
dinesque probant. Quomodo præceptum sit, nec ad-
ue: setur naturæ, ostendit Salmeron noster in huius
loci expositione. Legebantur hæc in Syra Ecclesia se-
cunda feria septimana secunda ieiunii.

VERSUS 19. 20.

*Nolite thesaurizare vobis thesau-
ros in terra, ubi arugo & tinea de-
molitur, & ubi fures effodiunt &
furantur. Thesaurizate autem
vobis thesauros in cælo: ubi neque
arugo neque tinea demolitur, &
ubi fures non effodiunt nec fu-
rantur.*

QUESTIO I.

Quid prohibeatur hoc loco?

§. 1. **H**umanam gloriam quidam vetari arbitran-
tur. Sed absque dubio, de veris diuitiis agit,
easq; accumulare prohibet; opum enim arugo est, &
tinea. sunt vero in vestitu, & pecunia, vestis tinea, aru-
go metalla deuorat. Tinea dicitur, & Heb. *שח* Sy-
riacè, *שח* Sasa, arugo *שח* Syriacè, *שח* Nachla,
quæ latè patet, estque eroso, seu ut Cyprianus vocat,
comestura. Iacob. 5. 3. vocatur *שח*, quod venenum et-
iam dicitur. Quod vero in veste tinea, in metallis æ-
rugo, hoc est, in ligno *שח*, in cornu *שח*, in vite *שח*, in
pomis *שח*, in ficu *שח*, parua mole, & nomine; sed
nocuentis ingentia damna. Vbi igitur non modo
opum congregandarum, sed etiam conseruandarum
nimia est cura, facile Dei cultus, iustitia, ca: itaque
negligitur. Efficax sane argumentum, ut opes con-
temnamus, quas non modo flamma, ferroque pec-
tunt hostes, sed contemptissima bestiola deuorant. *Cor in ar-
Hic ergo inhære animam turpe est, hos thesauros cæ non re-
pro Deo recondi, imo in illis mentem condi nefa-
cludenti.*

§. 2. S. Augustinus passim de gratia & libero ar-
bitrio hinc probat; Esse liberum arbitrium, quia di-
citur. *Nolite*. Quod argumentum non elidunt, cum
aiunt, hic esse, *μη θροονησέτε, ne thesaurizetis*:
quidam enim libri teste nostro Maldonato habent;
μη θροονησέτε. *Nolite*. Deinde non præciperet Chri-
stus, nisi velle, vel non velle valentibus, hoc est,
liberis.

VERSUS 22.

*Lucerna corporis tui est oculus tuus.
Si oculus tuus fuerit simplex: to-
tum corpus tuum lucidum erit.*

QUESTIO I.

Quid oculus, & corpus lucidum?

§. 1. **P**arabola est, qua ostendit, Deo sincere, non
gloriæ aut opum causâ seruendum. Sensus
vero

Oculus
simplex &
nequam.

vero est, oculus tuus est lucerna corporis tui, ut enim lucerna efficit domum lucidam, ut fungi suis ministeriis possint, quicam inhabitant, ita oculi corporis membris lucem prestant, sine qua oculo marcescit, aut aberrant. Oculus vero ille simplex est intellectus diuino lucis radio illustratus, & voluntas caritate ardens, recte in Deum intentione recumbens, oculus nequam, cum malis humoribus vanæ gloriæ, auaritiæ infectus, nec recte iudicat, nec amat. Simplex ergo totum corpus facit lucidum, idoneum officiis suis; nequam facit obscurum. Inde consequuntur densissimæ tenebræ, nam si lumen tuum, sunt tenebræ, hoc est, quod lumen esse debuit, verum est in tenebras, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Hanc interpretationem video placuisse plerisque. Ita S. Basilius *ὁ οὐρανὸς ἐν σὺναιῶν δακρυόεντος τοῦ σώματος καὶ τῶν φανερῶν καὶ τῶν κρυπτῶν* de peccatis & peccatoribus, ut oculus in corpore diiudicans quidem bona & mala, recte vero dirigentes membra Christi ad singula, quæ efficiendi sunt. Iudicatuam igitur & *ἐκπορεύουσαν* partem esse arbitratu Basilius.

Oculus a-
nimus.

Hilarii & aliorum interpretationes sunt mysticæ, de Apostolis, & Ecclesia. Nam priuatim hic instituantur homines ad hominis Christiani officium. Cicero l. 3. de orat. & 3. Tusculanæ similitudine vitur.

Quemadmodum oculus conturbatus non est probe affectus ad suum munus faciendum, & reliquum corpus officio suo deest. Sic animus conturbatus non est aptus ad aliquid boni agendum. Fei autem intentionem interpretantur Aug. l. 2. qq. Evang. 15. & l. 2. Serm. in monte. Chrys. hom. 21. Greg. mor. l. 2. cap. 6. Hieron. intellectum; sed optime Vincentius noster utrunque coniungit.

Quidam
oculum
simplicem
qui oppo-
nitur in-
uidia.

§. 2. Video quosdam hereticos, ut Piscatorem, de inuidia interpretari, ut oculus simplex sit benignus, nequam sit inuidus. Argumentis variis id astruere molitur. Nam de auaritia monuit, postea de sollicitudine vitanda moniturus, de inuidia ergo, quod affine vitium, nunc monendi erant. Deinde Rom. 12. 8. iubetur dare in simplicitate. Sic 2. Cor. 8. 2. accipitur *ἀπλότης*. Non ambigo inuidiam hic reprehendi; neq; oculus liuoris felle suffusus potest esse lucidus, sed generaliter contra omnia vitia nos munit, non contra solam inuidiam, monet ne oculus ad laudem, autopes intentus, vera bona negligat, totumque corpus perdat. Hæc est enim melior connexio, quam illa Piscatoris. Simpliciter nec loco citato ad Rom. nec Cor. de vitio inuidiæ opposito interpretamur. Deinde non conueniunt ista, corpus lucidum erit, id est, inquit Piscator, hilare, & tenebrosum, id est, triste, languidum. Piscatori oppono non modo patres: sed Bezam, qui oculum pro toto hominis ingenio ponit. Et Calvinum, qui sua a Patribus mutuatus est.

Oculus
Caluino
ratio.

„ Summa pro huius sententiæ est socordia errare homines, quia intenti non sunt, ut dicebat in rectum scopum. Vnde enim sit ut turpiter vagentur, vel impingant vel labantur, nisi quia corrupto iudicio dum suis libidinibus, quam Dei iustitiæ obsequi malunt, non modo suffocant rationis lucem, quæ eorum vitæ regere debuerat, sed protinus in tenebras conuertunt. Similitudine autem vitæ Christus, oculum totius corporis lucernam vocans, ac si diceret, cum homines ambulant neq; manus, neq; pedes, neq; ventrem regendæ vitæ præesse, sed vnum oculum sufficere ducem reliquis membris. Ergo si temere ferantur manus & pedes, quo minime conuenit, erroris culpa oculis erit imputanda qui officium non faciunt. Nunc ad animam transferenda est similitudo, singuli affectus, quædam sunt veluti eius membra, sed quia per se cæci sunt, directione opus habent.

„ Iam DEVS rationem indidit, quæ eos in ordinem

cogat, & lucernæ polleat officio ad vitam monstrandam. Quid autem plerumq; fieri solet? Neque homines quicquid lucis mentis datum erat sponte eorum puniunt ac pervertunt, ut ne scintilla quidem vna lucis residua maneat. Oculum simplicem vocat, qui nec lema aliqua obiectus, nec libidine infectus est, nec alio vitio laborat, *πνεῦμα* accipit pro vitioso. Corpus lucidum quod illuminatur, ut actiones suas habeat recte compositas. Tenebrarum vero, quod confuso motu in varios errores fertur.

Cætera quidem ille haud male, nisi quod rationem ita perueritille ait, ut ne vna quidem se nulla maneret. Multa enim rectæ rationis indicia in libris, & actionibus gentium apparent, quæ legem in cordibus scriptam habent.

§. 3. Rationem omnino extinctam Calvinus existimat; sollicitus ne oculus ille liber esset, ipse sic argumentum proponit. Quod autem hinc colligunt Papistæ, polleat ratione & prudentia homines, ut libera sit illis boni & mali electio: frivolum est. neque enim Christus, quia facultate præditi sumus, hoc loco differit, sed quomodo nos ambulare debeat, ut scilicet in certum aliquem scopum finem intenti: Ac si nemo docet totam humanam vitam cursum ideo tenebrosam esse, quia nemo rectum finem sibi proponat, sed omnes sibi ad malum cupide sectandam indulgeant. Fateor quidem natura ingenitam esse hominibus rationem quam discernant inter vitia & virtutes: Sed ita peccato vitiatam esse dico, ut ad singulos passus deficiat. Interea non sequitur quin tenebras sibi sponte accersant homines, ac si clausis oculis oblatum lumen fugerent: quia scientes & volentes post suas concupiscentias feruntur.

Respondeo. Nullos Catholicos docere tantum valere hominem ratione & prudentia, ut bonum super naturale, & quod ad vitam æternam conducit, beatitudinem eligere; nisi gratia diuina, auxilioque adiutum. Naturalia quædam bona posse, ex scintillis relictis, tam Sancti Patres tradiderunt. Porro liberam manere rationem in naturalibus, & cum Dei gratia in superna naturalibus Patrum, & ipsius Scripturæ doctrina est: atque adeo hoc loco frustra Christus hortatur ut oculi sit rectus, ne sit nequam, si non magis in eius potestate sit, vel sinceritas, vel prauitas, quam in trunco est curvitas vel rectitudo. Certe Chrysostomus hanc rationem ducem vocat, & comparat gubernatori. Aug. l. de opere Monachorum c. 28. intentionem vocat oculum, monetque ut bono fine, ac intentione omnes bona opera efficiant: ex eodem bene vel male operantium libertatem demonstrat. Ne vero lector existimet omnes Calvinianos in ea esse hæresi, quia Calvinus, referam verba Benedicti Aretii, Calvinistæ, ut magistrum confuter. [Nam in ratione superest, inquit, aliqua veri notitia, inest etiam discrimen boni & mali, & affectus aliqui, qui peccato carent aut sine peccato esse possunt, ut est amor erga liberos, erga domesticos. Quare hoc dictamen lucerna est, & oculus recte dicitur, hoc si obtenebretur curâ rerum externarum, nihil amplius in homine superest integrum. Nam reliqua per se omnia corrupta sunt, & tenebris involuta. Solum *λογισμός*, retinuit quædam scintillas boni, easque admodum debiles.]

Non igitur ad singula deficit, sed quadam suo arbitrio bene administrat.

Multo vehementius hanc rem disputavit Adolphus Venator, in propositionibus contra suos inimicos Alcmarianos.

VERSUS